

in publico exponendus, ita & Virginitas, custodiam autem docet *D. Ambrosius in c. 1. Lucae. Trepidare Virginitas est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri, disce Virginitatem moribus, disce verecundia*; Hinc quam imprudenter, quam culpabiliter agant, qui virginem statuunt in publico, choreis interesse concedunt, hoc enim est thesauri custodiam negligere, exponere deprædationi.

31 Virginitas describitur à Sanctis Patribus (*in corruptionis perpetuæ meditatio*) quia si desit perpetuitas in custodia, in meditatione, in solertia, de facili labitur ad corruptionem, potissimum, quia non solum carnali complexu deperditur, sed & desiderio, & affectu, considerata Virginitate pro ut virtus est, deplorabat enim Joannes Damascenus profusis lacrimis tantam jacturam dicens (*Mulierem non tetigi, & tamen Virgo non sum.*)

32 Meditare atrociores, quos passæ sunt, cruciatus Lucia, Cæcilia, Catherina, Agnes &c. quam diù, noctuque incessanter orationibus infudarent, tot Sanctissimæ Virgines, quam à Virorum colloquiis, aspectibus aborerent, ut Virginitatis tutarent aurum, virtutis fervarent preciositatem, non enim sine ingenti labore pretiosiora tutantur, ubi undequaque inumeris artibus, insidiis, & deceptionibus circumeunt prædones, magna ergo diligentia custodienda est Virginitas, quæ semel amissa irrecuperabiliter inutilibus defleatur ejulatus.

33 *Lodovicus Blossus c. 6. monit. Spirit.* refert, quod anima cujusdam defuncti cuidam Dei amico, in flama ardoris immensi apprensus, dixit, ea sola de causa, tam diris cruciatibus torqueri, quod circa dominici corporis perceptionem fuisset negligentior, & refertur in *Theatro vitæ humanæ sub V. Eucharistia.*

34 Nec omittenda est negligentia in repellendis motibus sensitivis de rebus venereis, quæ transit in morosam delectationem, & mortale peccatum est, diciturque morosa ex mora non temporis, sed negligentia in ea repellenda, post sufficientem advertentiam, quia talis negligentia provenit ex delectatione, & complacentia, quam percipit, qui negligit motum cohibere, & contravenire, & tunc intervenit consensus permissivus saltem, & interpretativus, etiam si desit positivus, & formalis, verum quando homo patitur tales motus, & se habet merè negative, idest neque consentit, neque dissentit, an sit mortale, vel ve-

niale peccatum, dissentiunt Doctores allegati à *Diana p. 2. tract. 17. resol. 33.*, Vide artic. 25. huius primæ partis.

35 Quod autem negligentia sit grande malum, colligas ex eo, quod multoties, vel est effectus, vel poena majorum scelerum, ex quo enim quis plures, & magnas patravit culpas, Deus in poenam sinit in posterum bona negligere, & contemnere, atque sine ulla consideratione, immò cum contemptu universa mala patrare, *Proverb. c. 8. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, & Proverb. c. 10. Quasi per risum stultus operatur scelus.*

36 Quod innvit etiam Regius psaltes, *psal. 80. Non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi (ecce negligentia, quid sequitur) dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventibus suis, sic negligentia parit peccatum, peccatum parit negligentiam.*

37 Accedit, quod negligentia pluries in facris scripturis, cordis duritia appellatur, *Exodi. c. 7. Induratum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum meum. Psal. 74. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra, cui negligentia extremum aliud malum sequitur, Ecclesiastic. c. 3. Cor durum malè habebit in novissimo.*

38 Diximus, quod otium, Pigritia, & Accidia sunt species negligentia, certum est autem ex eis multa prognerari mala, maxime in moralibus, Otiositas enim mater nugarum, & noverca virtutum, describitur à *D. Bernardo lib. 2. de considerat. ad finem, ex Polibio, quod sit fons, & origo seditionum omnium, nam multam malitiam docuit Otiositas Eccles. 33. vers. 29. nam sicut aqua, quæ non decurrit, neque impulsu ventorum movetur, putrescit in fovea, ita & Corpus Otio tabescit, & animus concupiscentiis, & voluptatibus computrescit otiano.*

39 Ingressus est locum nuptiarum piger, & negligens homo quidam, qui nuptialem vestem brevi, & minimo labore assumendam induere neglexit omnino, *Mathei 22. idè ligatis manibus, & pedibus, Domini imperio, mittitur in tenebras exteriores, quæ pœnæ benè respondent negligentia delicto, dum manus, & pedes ex ignavia operi non aplicuit, ut assumeret vestem nuptialem, oculos pariter non elevavit ad circumstantium aspectum, quorum obtutu propria redarguebatur pigritia.*

40 Jonas dum otiatur, & obdormiscit in fun-

fundo navis, ventorum vi impellitur, undè fremit tempestas timore exitii perhorrescunt nautæ, omnibus in summo discrimine positus, sorte data, piger, & ignavus propheta in mare proicitur, & sepelitur in ventre Ceti; Petrus in monte Tabor videns Christi faciem tanto lumine splendentem, nivei candoris vestimenta condecorata, exclamat, *bonum est nos hic esse*, petiitque ibi manere, attamen de eo legimus *Mathei 9.*, & *Lucæ 9. nesciebat quid diceret*, cur tanta notatur incititia, nisi quia otiosi exoptaret, ubi à Magistro præaptabatur ad labores, quam incititiæ notam inussit pariter Christus duobus filiis Zebedei *Mat. 20. dum sedere, quod est otiosi peterent, quando in evangelica prædicatione multum erat infudandum.*

41 *Cornelius a Lapide in Epistol. D. Pauli ad Hebreos c. 5. in Vers. (quoniam imbecilles facti estis ad audiendum)* Notat, defectum Anglorum à veritate fidei Christi incepisse à negligentia officii, & disciplinæ hominis Christiani, nec respexerunt fortissimorum martirum exempla.

42 Quod plerique hominum negligunt est, Quod non curant dirigere omnes actiones suas in Deum, tamquam ultimum finem; certum enim est, quod Deus cuncta creavit per hominem, & hunc per se tamquam ultimum finem, qui idè potest dici finis naturalis hominis, licet non naturaliter assequendum, sed supernaturaliter, ex quo *Greg. Nazianz. orat. 35. ait, omnis natura rationis particeps Deum,*

*ac principem illam causam appetit, sed deficit viribus; legimus autem cap. 1. Genesis, Deum creasse hominem ad Immaginem, & Similitudinem suam, & licet dicere ad Immaginem non sit ac Imago, sed importat quid diminutum, semper tamen verificari debet, quod Imago, etiam secundum esse diminutum semper habeat representare suum prototipon naturaliter, & ad illud semper referri, idèque homo semper appetit Deum cognoscere, Deum consequi, licet solis naturæ viribus hoc non possit per tanti finis excellentiam, ex hoc *D. Greg. exclamabat, tunc satabor, cum apparverit gloria tua, & D. Aug. lib. 1. confes. cap. 1. suspirans aiebat (fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.**

Deficit ergo à recto, qui negligit dirigere omnes suas actiones, & desideria ad Deum, neque actio aliter potest esse moraliter bona, licet in ordine naturæ apareat bona, quapropter *Lucæ 18. Phariseus qui bona sua opera commemorat, non recessit Justificatus, quia ea non direxerat ad Deum tamquam ad ultimum finem, ita & opera Infidelium, licet videantur bona, ut Orationes, & Jejunia, eleemosinæ, ac similia, in genere moris nullius meriti sunt, ad Deum assequendum, quia deficiente fide, ad Deum non diriguntur, sed eorum bonitas fit in solo ordine naturæ, nec altioris ordinis præmium merentur.*

## ARTICULUS XXI.

## An, &amp; quando negligentia sit purgabilis.

**M**ateria huius articuli brocardica appellatur à *Tusco littera M. concl. 377.*, & de ea militant omnia, quæ de purganda mora scripserunt D.D., nam negligentia, aut moram involuit, aut ab ea sequitur, tamquam à matre partus progenitus; undè sicut purgatio moræ dicitur purgabilis, & inventa ad sustinendos actus, & contractus, ac propterea sequatur regula, *quod omnis interpretatio summat ad sustinendum contractum, ad allegata per Cephal. consil. 25. num. 43. lib. primo, Cocin. decis. 1088. num. 25.*

ita pariter purgatio negligentia favorabilis dicenda est, & latiori modo, quo fieri potest admittenda, notando insuper, quod debitor, non dicitur purgare moram, & negligentiam per solam oblationem verbalem rei debitæ, sed requiritur oblatio realis, ut dixit *Rota coram Cerro decis. 235. num. 13.*, limitationes tamen vide de debitore negligente. Notando pariter, quod licet tex. in l. magnam C. de committenda, & contrahen. stipulat. dicat, quod debitor, qui promisit certo die, & loco solvere debita sub poena, absque ulla mentione, si non solverit tempore à se constituto,

tuto, nequeat amplius moram purgare, sed pœnam incurret, hæc loquitur attento rigore Juris Civilis, nam aliter dicendum est de Jure Canonico attenda æquitate, quam Sacri Canones sequuntur.

2 Quare constituo regulam, quod de æquitate canonica negligentia purgatur, etiam si esset apposta dies, & pœna, quando parti nihil deperit. *Merlin. decis. 29. num. 15.*, & *Marchesan. de commiss. restit. in integrum sub num. 15.*, *Paris consil. 19. n. 243. vol. 2.*, ad allegata per *Farinac. repert. Judicial. quest. 28. nu. 10.*, ubi restringit in contractibus bonæ fidei, de quo infra. Quare non restringitur purgatio negligentia ad casum tantum, quo pœna sit quidem apposta, sed dies incerta, ut in legato annuo sub pœna privationis solvendo, de quo *Bartol. in l. prima ff. de pœnu legato*, & post eum *Vivian. de Jure Patronatus lib. 2. cap. 5. num. 50. 51.*, In qua regula fundatur, & restitutio in integrum, propter clausulam, si qua mihi iusta causa, ad allegata per *Calvin. tract. de æquit. lib. 3. cap. 273. num. 1.*

3 Amplia primò regulam, ut etiam stante obligatione Camerali, adhuc negligentia purgabilis sit, *Puteus decis. 465. lib. 2.*, *Calvin. de æquitate lib. 1. c. 79. num. 15.*, & 18., *Postbius de Subast. inspect. 17. num. 80.*, & *seqq.* quod intellige ubi non sit apposta dies certa, quia tunc unica tantum mora concurrat, & purgari potest, secus ubi dies certa est apposta, & petita executione in obligatione Camerali, quia per adventum diei una incurritur mora, & per petitionem executionis secunda incurritur mora, in casu autem duplicis moræ non admittitur purgatio, *Coccin. decis. 1088. num. 10. 11.*, & 29.

4 Amplia secundò ut Minores, Ecclesiæ, Loca pia, alique gaudentes privilegio minorum semper purgant moram, saltem opè restitutionis in integrum. *Tusc. litt. M. concl. 379. num. 9.*

5 Amplia tertio, quo ad forum conscientia, quo attento semper potest negligentia purgari, quia Ecclesia, quæ est piissima mater, & divinæ bonitatis ministra, nunquam claudit gremium pœnitentibus, *Seraph. de privileg. juramenti, privileg. 48. num. 7.*, ita ut, etiam in casibus, in quibus in foro fori non conceditur negligentia purgatio, in eis semper in foro conscientia admittatur, pro ut sic distinguentes allegantur plures per *Farinac. frag-*

*ment. Criminal. litt. I. num. 1174. versic. Contrarium quod, & Gabriel. lib. 3. tit. de transactionibus conclu. 1. num. 13. Marchesan. de commiss. restit. in integrum p. 2. §. 2. num. 16.*

6 Amplia quartò, ut in rebus minimis, semper concedatur purgatio negligentia, eo quia in eis minimum possit reperiri præjudicium, & de minimis non curat Prætor, ubi ex opposito, in rebus magni præjudicii, dicemus purgationem negligentia non esse concedendam, ad allegata per *Seraph. de privileg. juramenti privileg. 48. num. 16.*

7 Amplia quintò, quod negligentia semper celeri satisfactione purgatur, *Seraph. d. privileg. 48. num. 11.*, eo quia tunc parva sit mora, quæ ex æquitate non meretur nomen moræ; *Calvin. de æquitate lib. 1. c. 79. num. 30.*, quando autem dicatur celeris satisfactio, & quodnam breve tempus, ad hunc effectum plures allegantur D.D. sententia, ita ut alii duos, vel tres dies, Rota pluries tenverit 15. dies, alii duos, vel quatuor menses juxta qualitatem negotiorum, & summarum pecuniarum assignant, sed omnes ferè comuniter conveniunt cum *Menochio de arbitrariis Judicium casu 7.*, id esse remissum arbitrio prudentis Judicis, qui consideratis circumstantiis, loci, temporis, personarum, negotiorum, & summarum, arbitrabitur quid æquum sit.

8 Amplia sextò, in fide Jussore carcerati, pro cujus libertate obtinenda, promisit eum representare, toties, quoties, per Judicem jussus fuerit, & jussus representare per totum crastinum E. G. negligat tamen, etiam post crastinum, tam in Civilibus, quam in Criminalibus causis, poterit negligentiam purgare, & representare, & evitabit pœnam, sub qua fidejussit, ut est *Text. in l. qui Crimen de iis, qui accusare non possunt*, quod etiam habet locum, si cum juramento fidejussisset. *Bossus tit. de Carcerato fidejussori committendo n. 66.*, *Farinac. praxi Criminal. quest. 34. n. 136.*, *Calvin. de æquitate lib. 1. c. 79. num. 28. & 29. ubi num. 31.* concedit etiam post condemnationem, posse fidejussorem moram purgare. *Coccin. decis. 1051. num. 5.*, & *decis. 188. nu. 6.* ubi quod infra quindecim dies purgando moram, evitat pœnam, ubi *num. 8.* quod fidejussor judicii potest purgare moram, etiam si dies certa sit, & apposta pœna; *Pedamont. decis. 49.*

9 Amplia septimò, etiam in contractibus conditionatis, in quibus si post impletam condi-

conditionem, unus ex contrahentibus sit morosus, & negligens, adhuc tamen potest moram purgare, ut observavit *Rota coram Coccin. inter eius impræssas decis. 1088. num. 9.* licet in pacto legis commissoria in pignoribus. Verius dicat non posse moram purgare, *Merlin. de Pignor., & hypoth. lib. 4. tit. 4. §. 9. 123. nu. 65.*

10 Amplia octavò, in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, casu quo defuncto Episcopo, sicque sede Episcopali vacante, à die certæ scientia talis vacationis non eligat Vicarium Capitularem infra octo dies, juxta decretum *Concil. Trid. sess. 24. cap. 16. de reformatione*, si contingat, quod negligat, & post transactum octavum diem, velit eligere, purgando moram, hoc ei licere existimarunt *Garzias de Benefitiis part. 5. c. 7. num. 7.*, *Riccus collectan. ressol. 1602.* quorum fundamentum est, quia etiam transacto octavò die antequam superior eligat, res est integra, re autem integra licet negligentiam purgare, tum quia Concilium concedit metropolitanis, suplere Capitulum negligentiam, at non privat Capitulum facultate constituendi Vicarium, neque electionem irritat factam post diem octavam, neque aliud ponit verbum, quod nullitatem importet, & quia facultas à Trident. translata in Metropolitanum, data Capituli negligentia, censetur cumulativè, non privativè data ex iis, quæ notavit *Fermosin. in c. sua nobis de officio Vicar. q. 8. num. 21. post Casttrum palaum, Quarantam, Suarez, & eod. n. 21.* notat pariter *Fermosin.*, quod si Metropolitanus constitueret Vicarium, hicque moretur, aut renuntiaret, tunc Capitulum, infra octo dies, posset Vicarium eligere, alias adhuc negligente Capitulo, Metropolitanus creabit alterum Vicarium, quam sententiam judicaverunt probabilem *Antonel. de tempore legali cap. 21. num. 11. lib. 4. Pax Jordan lucubrat. tom. 2. lib. 12. num. 6.*, eo quia, ubi non est ratio evidens recedendi ab æquitate, secundum ipsam æquitatem tenendum est, juxta id, quod in *Psalm. 95.* de Deo canit Propheta, judicabit populos in æquitate, ac propterea juxta nostram regulam, moram posse purgari commissam, propter non factum, scripsit *Farinac. repert. Judicial. quest. 28. n. 23.*

11 Oppositam tamen sententiam in terminis Tridentini, Capitulum scilicet non posse purgare negligentiam in proposito casu, asserverunt plures, *Pellegrin. de Vicario Capitulari part. prima sec. 4. subsect. prima num. 29.*,

ubi refert declarationem Sacr. Congrega. in una *Maceratens. 27. Octobris 1603.*, *Marchet. de Vicario Capitulari part. prima tit. 1. num. 16. Diana part. 8. tract. 4. resol. 71.*, Doctoresque ibi allegati, rationes hujus sententia sunt, quia transacta, octava die, statim est Jus quæsitum Metropolitanum, ex dispositione *Concil. Trid. dicta sess. 24. c. 16.*, quando autem alteri est Jus quæsitum, res non est integra, & negligentia non est purgabilis; tum quia decretum Trident. est clarum, limitans tempus ad corrigendam negligentiam Capituli, ac propter hoc coarctat ipsius facultatem in tali electione, ita ut non intret æquitas, etiam si allegaretur ignorantia, ex regula, quod ignorantia Juris clari non excusat, *cap. ignorantia de regulis Juris in 6.*, tum quia Capitulum potest, & debet prævidere facultatem sibi à Concilio concessam, post diem 8. devolvè ad Superiorem, ut notat *Menochius de arbitrariis Judicium casu septimò sub num. 10. vers. tertius fuit sensus ad finem*, & hanc sententiam ego puto veriorum, undè pono ipsam pro limitatione prima nostræ regulæ addendo alias rationes nempe, quia executio devolutionis fit à Jure, sine facto hominis, & tunc negligentia non purgatur; *Abbas in cap. ultimo de Jure Patronatus, Vivian. de Jure Patronatus lib. 7. cap. 6. num. 12.*, ubi quod Patronus Beneficii, si fuit negligens in presentando, in termino sibi à Jure constituto, negligentiam non purgat; quia Jus devolvit collationem beneficii ad Episcopum, ubi *num. 14.* simili modo si Episcopus non contulisset beneficium in termino sibi à Jure constituto, non poterit moram purgare, quia Jus devolvit facultatem ad alium Superiorem *cap. 2. de concessione Præbende.*

12 Hæc secunda sententia limitativa nostræ regulæ in duobus casibus moderanda videtur, & limitanda. Primò si Capitulum haberet justam causam differendi electionem ultra octavum diem, quia data iusta causa, intrat æquitas, propter quam datur purgatio negligentia, pro ut dicitur de Patrono beneficii, qui ex iusta causa non presentavit in tempore, tum quia data iusta causa, non committitur negligentia, undè neque contingit quærere purgationem eius; tum quia data iusta causa dilatio electionis non est culpabilis, ac propterea cessante culpa, non intrat privatio facultatis eligendi, quæ habet rationem pœnæ, pro ut in simili de Patrono beneficii